Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1577
Quelle:
Copyright:

municabatur ideo, quia ablutionem recepit de calice. Item feria 2da et aliis diebus multa consilia latentia et nunc isti, nunc illi ad dominum Legatum mittebantur: hij istud, hij illud oppositum dicentes, eundem explorare volentes, sed in singulis fuit benecautus. Item magister reuerendus puta Vernandus debuit respondere ad singulas facultates, tanquam in uniuersitate; cum autem domini hoc resciuerunt, et impedimenta fecerunt taliter, quod utique non respondit in notam et confusionem eorum maximam. Item feria 6ta post festum spiritus sancti optauerunt, quod det eis finale responsum de communione duplicis speciei et de compactatis; respondit, quod non uenit ad decidendam eandem materiam et determinandam, sed pro pace facienda. Ibidem Magister Petrus de Ladenowiz respondit et dixit: domine Legate, si non confirmabitis nobis communionem duplicis speciei et Rokocanium archiepiscopum non confirmabitis, antequam uenietis Romam, audietis mirabilia in isto regno. cum autem vehementer et cum stupore admiraretur dominus Legatus et cogitaret quid diceret, respondit: ego dico ista et scitote, quod ita fiet, non quod ego ista facere velim, sed ita fiet. Item Rokocan multociens fuit cum domino Legato solus. Item dominica post XIX. horam venerunt ceteri domini cum civitatensibus importune inquirentes a domino Legato, quod diceret eis, an communio duplicis speciei sit hereticalis vel non, et cum nequaquam eis directe respondere voluisset, altera vice eundem sermonem inquisierunt, et cum nec adhuc respondisset, 3tio inquisierunt. Quibus respondit, quod in talibus dubiis securius et cautius est tenere illud, quod sancta mater ecclesia tenet, quam se opere ab ea disiungere; cum autem dubium habetis in isto, non est melius facere, nisi illud quod facit ecclesia, nam ecclesie est super omnia obediendum et standum eius doctrine. Responderunt, quod Christo magis est obediendum, tunc inquisiuit ex eis dicens: dicite mihi quid erat in calice Christi, cum Christus in cena confecit, an aqua erat, an vinum; videtur quod potius erat aqua, quia vinum prohibitum erat regibus et sacerdotibus leuitis. Si igitur Christus in aqua confecit vel ad minus dubium vobis erat et est, in quo confecit, cur in tali dubio potius in vino, quam in aqua conficitis, cum Christo secundum vos est obediendum; igitur more Christi in aqua conficiendum esset, responderunt, quod ab ecclesia doctrinam receperunt et communione proximi, respondit, cur in isto etiam ab ecclesia proximi non recipitis, tunc cum confusione recesserunt, cum ira apellantes dominum Legatum fatuum, eo quod non poneret se medium, sed extremum partis aduerse, in nullo enim eis condescendere voluit. Item feria 2da intrauerunt pretorium, tunc hij, qui a toto regno missi erant, dixerunt: nunc jam legationem nostram vobis pandere intendimus, prius